

Bibliothèque numérique

medic@

**Bellot, Louis-Florentin - candidat /
Gouel, François - président. - An
Medicina recens antiquâ praestantior
?**

1733.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2327 n°64***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax06x0064



DEO OPTIMO MAX. UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis quinto
Februarii anni M. DCC. XXXIII.

M. FRANCISCO GOUEL,
Doctore Medico, Præside.

An Medicina recens antiquâ præstantior?

I.



QVNIS disciplina quæ ratione & experienciâ fulcitur, vires ac-
quirir eundo. Suas ætates habent Artes & Scientiæ, sensim in-
crementa capiunt, nec eodem tempore nascuntur & adolefcunt.
Priscis temporibus dùm adhuc nuda virtus placeret, vige-
bat inculcata sanitas, & Medicina paucarum herbarum erat scientia.
At ex quo mores hominum desidia & luxuria vitiârunt, nova
morborum terris incubuit cohors, semotiquè prius tarda necessitas lethi cor-
ripuit gradum. Hinc ad arcenda fata, mulcendosquè dolores insudârunt sublimio-
ris animæ viri, uberioremquè remediorum supellectilem expoposcit necessitas.
Ab indigestâ, rudiquè experienciâ initium duxit salutaris professio. Hanc postea
peritiores Medici, qui posteris reliquerunt undè vires adipisceretur. Pri-
mus Hippocrates ultra sui temporis conditionem doctus, quæcumque à majo-
ribus hauserat, propriæ scientiæ adjunxit, & ex utrâque parte dives, rationi ex-
perientiam mancipavit; incertamquè ac sine duce divagantem Artem intra re-
gulas compescuit. Indè, ex signis morbos intelligere, ex morbis morborum cau-
sas eruere, ex utrisque, sumptis indicationibus remedia investigare, datum est. Sed
ecquid ab omni parte beatum? Quæ oculis subiecta fuère fidelibus, morbi, sym-

2

ptomata, si Divinum Senem non fugere; fugere quæ sensibus occulta erant, vitæ, functionum, morborumquæ causæ. Quid mirum, si manca Medicina ad successores pervenerit. Illa quæ subsequenter saculis invalescere debuisset, pauca lapsu temporum suscepit additamenta. Methodicos satius fuisse, quæ Hippocratem latuerant, ipsius vestigia relegendo, investigare, quàm infidâ methodo servire ignorantia. Dùm enim Medicinæ, cui ediscendæ vel longissima vita brevis est, compendium quærirant, umbram pro corpore, nubem pro Junone amplexi sunt. Multa debet Galeno Medicina. Majora deberet, si sua elementa, quatuor humores, qualitatesquæ verborum parcus siluisset. Socordiae poculum sequentes Græci non ebibissent, suâquæ, non alienâ Minervâ duce, Naturæ campum felicius fortasse lustrassent. Et vos, Arabes, exceptam à Græcis Medicinam, cui, si variolas, lenia purgantia, aromataquæ prætermiserim, nihil ferè nisi verba dedistis, promovissetis ulterius.

I I.

ÆQUAM memento medicis in rebus servare mentem. Nec te à veri præstatione deterreat præpostera illa, quam quidam Antiquitati vovent, reverentia. Titubanti Naturæ frustra dextram porrexeris, nisi quæ stet intellexeris. Vis ægrum suscitare? Sanum nosce. Vide quibus regatur & sibi constet animalis œconomia legibus. Ne te fallant morborum causæ, indoles, symptomatum varietas, vitæ fontes tibi sunt aperiendi, succorum qui corpus alluunt natura, virtutesquæ investigandæ. Partium figuræ, nexus, consensus, ususque indagandi. Nec ista sufficiunt. Aërias tentare domos, alimentorum vires, principia rimari ne recuses. Sensuum addictus fidei vana facultatum idola explodas, quid mechanicae leges conferant, unicè sollicitus. Quid delirent humores, quid peccent solida nunquam assequeris, emendabis nunquam; nisi prius, quæ functionum integritatem tuetur utrorumquæ discors conspiratio innotescat, genuinæ simul pateant remedium vires. Per herculeos Hippocratis labores evecta Medicina crevisset citius, si Posteris accuratâ corporis humani notitiâ non destituti, veræ physices doctrinâ imbuti, in medullis rerum, non in cortice hæssissent. Non in tam varias sentiendi, medendiquæ vias discessissent; eodemquæ penicillo quo exteriorum naturam adumbravere, ipsius penetralia depinxissent. Ut fallax sæpè est observatio, quæ rationis trutinio non pensatur; sic inutilis errorumquæ parens ratio, quæ experienciâ non digeritur. Pauca vel nulla obtinet, qui tumentis ingenii partibus obsequitur, repugnante Naturâ quæ sui juris est, nulloque animi impetu regenda. Hinc, qui singulorum morborum historiam delinearunt Antiqui, nobis ultrâ nitendi spem exiguam reliquerunt, ex eo quod experienciâ ducti, sibi ubiquæ constare Naturam, observarant. Dùm verò dissimili viâ, vitæ functiones, agnitudinumquæ causas aggredi conati sunt; refugit ipsa rerum veritas, innumerisquæ obvoluta fuit opinionibus, tam digna Naturæ simplicitas. Adeone quæ omnia diruit annorum series, temporumquæ fuga nos frangerent; ut dùm Veterum optimioribus onusti spoliis, tot recens Physicis, Anatomicis, Chymicis, Botanicisquæ inventis ditescimus, Artem tam pauperem quàm nata est, excolemus?

I I I.

EX quo compagis humanæ artificium retexit Recentiorum curiosa sagacitas, Naturæ mysteria facilius evolvuntur. Exulârunt nomina nihil ignorantia malum levantia. Excussa veterum temporum caligine, vitæ, mortisquæ causas propius attingit Medicina. Quibus subsidiis hanc arceri, foveri illam, necesse sit, tenet certius. Quot ex Anatome Medicinæ veniunt commoda, nulli non innotescit. Singulas humani corporis perlustra partes; nullam ferè invenies, cujus fabricam & usum Recentiorum industria non detexerit. Cerebrum evolvas; per innumeros flexuosorum vasorum mœandros, sanguinem lento pede spiritus vehementem in nervos undiquæ diffundendos, insecuta est microscopiorum acies. Huc pleniori agni-

ne appellat cruor; jam te non fugiunt Comatosorum, Spasmodicorumquæ affectuum origines, si memineris vasa cerebri exilissima, & mirum in modum contorta, muscularum membranarum ad cranii limen deposuisse. Pulmonem præcipuum Sanguinis esse opificem, evincit ipsius structura. In eo sanguis, aëris condensantis beneficio, adscititii chyli partes, tenaciori vinculo sibi obligat. Nunc obvia tibi sunt, in Phtisi colligationum, in Astmate, Dyspnœa, Oedematolorum tumorum causæ. Qui è corde scaturit cruor dives opum pabula cunctis laturus partibus, & ad idem redit inops novis instaurandis subsidiis, nunquam sua adimpleret munia, nisi *Systaltica* arteriarum virtus progredienti calcar adderet, illumquæ ad diversa incernicula propelleret, varias, pro variâ diametro, distantia, resistentia, formas induturum. En tibi se prodit secretionum mechanismus. At lentescat spissior sanguis, regiquæ indocilis fibrarum oscillationi non obsequatur, hebescant, vel ferocius ruant in sanguinem solidorum potentia; pervertatur secretionum negotium, obstructions, stagnatio, putredo, inflammationes, febres nascantur necessum est. Viscera *χλωροί* inservientia intueri; illam non vanæ facultatis ludibrio perfici, sed salivæ dissolventis, ventriculiquæ atterentis concursu inchoari, bilis succiquæ pancreatici interventu, in intestinis absolvi ultrò fatebere. An nodum solveret, qui in primis regionibus morborum stabulantium causas, tantoperè à Veteribus decantatas intemperies incusaret? Non eadem bilis ac aliorum humorum secretio. Hi ab arterioso sanguine, à venoso illa, quem à Liene, Omento, Pancreate, Intestinis vena portarum reorbet jecori infundendum. Si plus æquo ibi necat moram redux sanguis: pullulant, Icteri, Hydropis, Cachexiæ, Scorbuti, Hæmorrhoidum, Hypochondriacorum, Hystericorum, Chronicorumquæ affectuum causæ. In utroque sexu quæ generationi dicantur organorum accuratior cognitio, diu dissimulantis Naturæ ambages retexit. Quæ cœlibem vitam sequuntur, quæ se cum importat malorum graviditas, non amplius latent scaturigines. Plura quæris? scrutare impiger; scisso veluti velo Natura panditur.

IV.

INANI triumphi titulo gloriaretur Medicina Recentiorum, si quæ Veteres vincit circa rerum Naturalium, Præternaturaliumquæ causas, ipsi ad præcavendos, debellandosque morbos potentioris armaturæ auxilia non suppetere. Ast non in sola corporis humani cum sani, tum ægrotantis, contemplatione conquevit. Totam Naturam aggressa est. Quam fausto labore! Circa aëris à quo tantoperè afficimur phænomena, in quibus explicandis tam longè delirabat Antiquitas, jam non obstupescimus. Quibus convenient varia esculentorum, potulentorumquæ genera, illorum quæ dilucidius patent virtutes docuere. Nec est quod in administrandis rebus ad Hygienem pertinentibus, & speciatim in exercitiorum ratione, Veteribus inferiores nos esse clamitent, utpotè quod nunc exolevere plurima exercitationum genera, quibus, si fas est credere, infiniti propemodum imbecilles olim ad *εὐθείαν* revocabantur. Non in eo minùs, quàm in aliis, resplendescit Medicinæ recentis prudentia, quæ ex Gymnasticæ ea tantummodò selegit exercitia, quorum beneficia partium affectarum structura, morborumquæ causæ exquisitior notitia commendarunt. A morbo, causâ morbi, symptomatis, præcipuæ fluunt indicationes. Indicatio remediorum index & norma; in remediorum delectu Medici solertia. Quorsum isthæc? inquis, ut intelligas in omnibus, recentis ævi Medicos, Antiquis palmam proripere. Varias pro variis morbis partes ad venæ sectionem eligere, determinant leges quibus sanguinem moveri nunc novimus. Humoribus sede, indole, motibus detectis: Purgatio opus majoris prudentiæ instituitur felicius, sive in acutis turgeant, sive in chronicis torpentes organorum vim obtundant. Quæ diu incassum torfit Naturam Chymia cœco vagans impetu, temporibus nostris, legibus certisquæ principiis assuescit. Illa è vinculis expedit, quæ miseris invida mortalibus terra tenebris obtexerat densioribus. Hoc fonte

tutioris energiae dimanarunt emetica, astringentia, aperientia, &c. Et certe, si ex denso pharmacorum agmine Medici virtus elucesceret, suas uberius profunderent opes vel remotissimae regiones. De remediorum numero superbiant quos fastosa juvat luxuries; erudito luxu sapere, non timere, gestit Medicina recentior. Ex principiorum quibus scatent exquisitiori cognitione, quae apud Antiquos obsoleverant, nunc sunt in honore medicamina, quae apud eos vigeant, vigent etiam nunc jure potiori; multa mutata in melius, plurima inventa. Jam si morborum causa ex penitioribus anatomis recessibus depromptae illucescant magis; uberiorum, certiorumque remediorum vires saeculi nostri melior fortuna retexerit: quid dubitas Recentium castra sequi?

V.

SUA igitur stet Medicinae recenti praecellentia, quam illi non invideret, si revivisceret, prisca gens Medentium. Cave tamen, cum Asclepiade, quidquid primi artis parentes dixerunt, mortis meditationem nuncupes. Antiquos Medicinae proceres aequum est venerari, ex eo quod, nullo facem praeferente, utilia bene multa invenerint: at iis in omnibus mancipari turpe & indecorum. Sit pro auctoritate canities quibus Graeci solum sollicitam explicare frontem. Temporis acti laudatores, omnia gelide, confusaeque ministrent. Nos genio ducti meliore, veritatem qua patet, quaerimus. At inquires, quo jure praestantior illa, quae tot fermentis ebullit, torque systematis indulgens veluti turgescit hydrops? Absit ut credas artem quae veterum errores tam felici fidere discussit, caliginem qua immersa fuit, non exuisse. Fermenta doctrinae sanioris arbitri despumaverunt: systemata otiantis ingenii commenta, ab Aesculapii templis jam diu explosa sunt. Ex tantis sordibus quibus emerit, purior fulgescit Medicina. Frustra clamas, priscorum temporum desiderari prudentiam, remediorum administrandorum rationes, lente festinandi scientiam: quasi eas, quas optimus rerum judex usus comprobavit, antiquaremus leges Veterum; quasi quae per obscura viderunt, dum nova lux affulget, non utique cerneremus. Nunquid majoribus nostris nobiliores animos afflasset Providentia benignior? Nunquid Natura senesceret? Ni ergo te crasso Boeotum in aere natum, fugerit ingenium & virtus, Veterum partes linque, qui tam imperiosae de Medicorum libertate triumphaverunt. Nec te moveant vulgi infanientis convicia. Nec te terreat non hodie mitior Libitina. Porro, si Naturae manum admoverent soli quos penes arbitrium est, & jus & norma medendi, non aequae mixta senum ac juvenum funera densarentur.

Ergo Medicina recens antiqua praestantior.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Antonius - Nicolaus Guenault.</i>	<i>M. Bernardus de Jussieu, Regiae Scientiarum Academiae, Regiaeque Societatis Londinensis Socius, & in Horto Regio Botanices Prode demonstrator.</i>	<i>M. Urbanus Leaulte.</i>
<i>M. Joannes-Baptista Boyer.</i>	<i>M. Franciscus Mery.</i>	<i>M. Franciscus Afforty, Antiquus Facultatis Decanus.</i>
<i>M. Desiderius - Claudius Fremont, Chirurgiae Professor.</i>	<i>M. Joannes - Baptista Dubois, Scholarum Professor, Serenissima Principis primariae de Conti Medicus, & Professor Regius.</i>	<i>M. Germanus Preaux, Antiquior Scholae Magister, Regius Professor Emeritus.</i>

Autor.

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-FLORENTIUS BELLOT, Rojanus Ambianensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1733. a sexta ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinae Typographi, 1733.